Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Habacuc. I

Onus q̃ vidit habacuc pp̃ha. Vsq̃q̃ domine clamabo et non exaudies. vocaferibor ad te vim patiens et non saluabis. Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem videre. Propter rapinam et iniustitiam ante me. Et factus est iudicium. et contradictor prouocauit. Propterea exolutus est lex et non peruenit usque ad finem iudicium. quia impius preualuit adversus iustum. propterea egredietur iudicium peruersum. Aspicite gentes et videte. et admiramini et obstupescite. quia opus factum est in diebus vestris quod nemo credet cum narrabitur. Ecce enim ego suscitabo chaldeos gentem amaram et festinantem ambulantem super latitudinem terre. ut possidat tabernacula non sua. horribilis et terribilis est. ex semetipsa iudicium suum et onus egredietur. Leuiores pardis equi eius et velociores lupis vespertinis. et diffundentur equites eius. Equites namque eius longe venient. volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. os ad predandum venit. faciem eorum urentem. congregabit quasi arenam captiuitatem. et ipse de regibus tenebit. et principes ludibrio habebit. et tyrannum ridebit omnem enim munitionem ridebit. et congerit aggerem et capiet eam. Tunc mutabitur spiritus